



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. I. Quid est Satisfactio Sacramentalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

CAPUT VII.

De Satisfactione.

Quæst. 1. QUID est Satisfactio Sacramentalis?

Resp. Ut colligitur ex Catechismo Concilii Tridentini de Sacramento Pœnitentiæ his verbis : *Numero 88. Illa tantum Satisfactio Sacramenti pars censenda est, quam diximus ex præcepto Sacerdotis Deo pro peccatis dependi, hoc adjungo, ut statutum cum animo, & deliberatum habeamus, peccata in posterum omni studio vitare.*

Quocirca, ait S. Anselmus : *Hoc quoque attendendum est, quod cum aliquis quod injustè abstulit, solvit, hoc debet dare, quod ab illo non posset exigi si alienum non rapuisset. Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem quem rapit Deo solvere. Et hæc est Satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere.*

Lib. 1. Cur Deus homo. sap. 11.

Quoniam autem debitus honor Deo reddi non potest nisi quis peccata omninò vitare instituat, S. Augustinus relatus in Canone, ait : *Can. Satisfactio. De Pœnit. dist. 3. Satisfactio Pœnitentiæ, est peccatorum causas excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.*

Quæst. 2. Quænam sunt opera, quibus satisfacere Deo possumus pro peccatis, quæque Confessor in pœnitentiam peccatorum imponere debet?

Resp. Ea ad tria præcipua reducuntur, ut in Concilio Florentino tradidit Eugenius Papa in Decreto unionis his verbis : *Tertia pars Pœnitentiæ est Satisfactio pro peccatis secun-*